



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem
Varia Ervditione Noviter evoluta**

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

6. Cupidinis & Mortis spicula mutata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

Amor, quid cupiat, scit, quid sapiat, non scit.
Et: Quid deceat, non videt ullus amans.

Unde Alciatus in emblematis ipsum exhibet ab apibus appetitum, ad finem Veneris confugientem: quod voluptatem sequatur dolor, rīsum lacrymæ, gaudia luctus.

IV. (d) *Alatus* est: nihil amore volucius, nihil levius, & mutabilis: cras oderit, quem amat hodie: quem manè deperibat, averfabitur vespere: quid dico, vespere? Citiùs hoc fecit Amnon, Davide genitus: odio quippe furens, cubiculò expulit, quam amore ardens paulò antè pellexerat. 2. Reg. 13. Vel etiam, quòd amor amanti (uti timor) alas addat, expedito ad omnia.

V. (e) *Arcum habet & sagittas*, quia ferit eminus. Faces quoque gerit; nam ardore presentes accendit, absentes desiderio vulnerat. Exemplum Dido, Carthaginis regina, cui Cupido occultum inspiravit ignem, sefellitque veneno. Primus aditus per oculos:
Expleri mentem nequit, ardescitque tuendo.

Post oculos, in pectus, hinc in gremium illabatur. De hoc Poëta.

Reginam petit. hæc oculis, hæc pectore toto
Hæret, & interdum gremio fovet inscia Dido,
Insideat quantus miseræ deus.

Utique miseræ. Nam quid sequitur?

Est mollis flamma medallas
Interea, & tacitum vivit sub pectore vulnus.
Uritur infelix Dido, totaque vagatur
Urbe furens: qualis conjectâ cerva sagittâ,
Quam procùl incautam nemora inter Cressia fixit
Pastor agens telis, liquitque volatile ferrum
Nescius. Illa fugâ silvas, saltusque peragrat
Dictæos: hæret lateri lethalis arundo.

Nimirum obstandum principiis. In hac mora, si uspiam alibi, summum est periculum.

Qui blandiendo dulce nutrit malum,
Serò recusat ferre, quod subiitjugum. Senec. in Hippolyto.

VI. (f) Alciatus in Emblem. proponit Cupidinem permutantem cum morte tela: quæ dum uno in hospitio fortè commorantes, temerè de nocte sumerent, & Mors aurea Cupidinis spicula, hic Mortis ossea corriperet:

(d) Cur alatus? (e) Cur sagittarius? (f) Cupidinis & Mortis spicula invertat.

corri peret: illéque fonem, hic figeret juvenem, factum est, ut repenté adolescens emoretetur: feniculus autem in juvenem refloresceret. Quoties hoc accidit, ut sub Cupidinis larva telum Mors intorqueat, & in ipso amoris æstu, libidinibus suis operantes configat! Tempore funestissimi illius per orbem universum diluvii, pharetratus puer mortalium omnium, pauculis exceptis, pectora foedè fauciárat: nam, ut reparator Orbis testatur, Matth. 24. *Erant comedentes, & bibentes, & nuptui tradentes.* Et Genes. 6. *Omnis Caro corruperat viam suam super terram.* Homines scilicet, spreto rationis ductu, in turpem libidinem projecti. Attende Catastrophen: Cupidineis arferant telis & ignibus; hinc in aquas præcipitati, senserunt inter undas, Mortis horridæ sagittas. *Veni diluvium, & tulit omnes.* loc. cit. Matth. Et Gen. 7. *Consumptaque est omnis caro, quæ movebatur super terram.*

VII. (g) Cæculi hujus pueri pravam indolem ingeniosè describit nobilis ævi nostri Lyricus lib. 1. od. 7. ad Simonem Iffum,

Res Amor mira est. Videt, ISSE, cæcus.

Cæcus est, quamvis oculo vidente

Natus. Absentes Amor urit absens,

Proximus exul.

Siccus in venis, madidusque vultu:

Siccus humectat, madidusque flagrat;

Fervidus tectæ gelidusque flammæ,

Ardet & alget.

Quando festivas quatit igne tædas,

Lumen extinguit: niveique floris

Prædo, pallenti violas vicissim

Pingit in ore.

Non habet frontem: tamen est venustus,

Navigat terras: volat absque pennis,

Vilis ac parvus puer, heu! feroces

Sternit Arridas.

Qui caret pilis, metuenda vibrat

Tela; non longas jaculatur hastas:

Pectori plagis acus inferendis

Sufficit una.

Missilem linguam capit ex pharetra

Oris, & figit jecur ulcerosum,

Stulta

(g) Cupidinis pravæ indoles.